



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MALINDIENSIS*** IN KENIA NOVA CONDITUR
DIOECESIS MALINDIENSIS Ad provehendam aeternam salutem atque facilius et efficacius consulendum regimini
Christifidelium Keniae intra fines dioecesis Garissaënsis et archidioecesis Mombasaënsis commorantium, petitum est
nuper ut ibidem nova constitueretur dioecesis. Quoniam vero Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque
Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habitoque pariter
faventi voto Venerabilis Fratris Ioannis Tonucci, Archiepiscopi titulo Torcellani atque in memorata Natione Apostolici
Nuntii, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam, Nos, Qui gravissimo gerimus officium supremi Pastoris
universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A
Garissaënsi dioecesi separamus territorium districtuum civilium, qui patrio sermone nuncupantur Lamu et Lower Tana
River; a Mombasaënsi autem archidioecesi seiungimus territorium districtus civilis Malindi; ex iisque novam condimus
dioecesim *Malindiensem*, quam metropolitanae Sedi Mombasaënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni
Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi qui supra sunt definiti. Praeterea
iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Malindi » atque templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Antonii dicatum,
ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus
perducat ad exitum Venerabilis Frater Ioannes Tonucci, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda
sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem
Apostolicam nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud
Sanctum Petrum, die altero mensis Iunii, anno Magni Iubilaei bis millesimo, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Tharcisius Nardi, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 11, pp. 773-774 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana